



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XLII. De S. Fredegando Confessore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

CAP. XLII.

De S. Fredegando Confessore.

IOannes Molanus in Chronicâ suâ SS. Belgij recapitulatione c. 8. ita de Belgarum conuersione inter cetera scribit:

Multi etiam de Scotiâ vel Hyberniâ in Gallijs peregrinantes verbum Dei seminabant, multumque fructum Deo faciebant per Hannoniam, Brabantiam, Flandriam, & loca vicina (post annum scilicet 600), inter quos prædictus author enumerat S. Fredegandum, qui fuit vnus ex socijs S. Foillani Episcopi & martyris quo cum ex Hibernia in hanc patriam descendit vt animas Christo lucrificeret. eumque multis in locis prædicationi Euangelicæ strenuam operam nauasset, obdormiuit in Domino, & Turnini est sepultus. Sed, vt superius dixi, Deus locum illum propter iniquitatem populi exosus, reliquias ipsius iussit transportari, quibus sublatis, veluti muro ciuitatis destructo, gens Normannorum irruit & omnia ædificia cum ipsius Fredegandi monasterio, flammis absumpsit. Locus verò, in quem iam requiescit, vocatur Monasterium (Gallicè, *Moustier*) supra Sambram à B. Amando in honorem S. Petri constructum, duobus miliaribus à Namurco, vbi antiquitus fuisse Congregationem monasticè viuentium, ipsum nomen indicat, sed nunc est nobilium Virginum Canoniarum 17. & Canoniarum 10. Collegium. Ceterum pars Reliquiarum S. Fredegandi

Dorne
prope
Antuerg.

Molan. &
Miræus
in fast.

S. Fredegandi Audomaropoli ex Bertiniano monasterio Antuerpiam circa annum 1590. allata, adseruatur ibidem in basilicæ Cathedralis Sacello, S. Ursulæ ac Sodalibus dicato. Natalem diem habet 17. Iulij: aduentus ad Monasterium incidit in diem S. Barbaræ, 4. scilicet Decembris.

Sed quod ad institutum nostrum; & ad tutelam eiusdem contra pestem attinet; legi in rythmo Flandrico res gestas eius continente, & à Pastore S. Elisabethæ inter vitas Sanctorum linguâ vernaculâ ab ipso editas, recensetur, sequentes hos versus ad S. Fredegandum directos:

*Ghy zijt verbidder der pestilentien
Soo anno vijft hien hondert twelf wel scheen;
Ghy dede u dienaers veel assistentien
Die u aenriepen in sulcken gheueen
Tot Antwerpen, &c.*

Qui versus id significant, eum singularem patronum esse & intercessorem haberi pro auertendâ peste, sicuti de facto eam ab Antuerpiâ auertit anno 1512. quando vrbs illa grauissimè eâdem affligebatur, cunctis ad eius patrocinia confugientibus. ideoque sæpius rogat author in prædicto rythmo ut à pestilentia nos dignetur præseruare, meritis suis & intercessionibus apud Deum. rogemus & nos, & orationum nostrarum fructum absque dubio recipiemus. Respiciet enim Belgium suum, cui conuertendo ad Christum seipsum lubens olim impendit cum socijs suis natale sibi solum vtrò deserens, ut nos ad viam veræ fidei reduceret. Libentius, inquit Molanus, Hiberni ad Belgas, quam ad alias nationes veniebant, ut eos sacræ doctrinæ rore irrigarent, ideoque tot sacræ exuuiæ Hibernorum sanctorum qui nobis fidei semina olim inseruerunt, in toto Belgio requiescunt, ut nulla fere dicecesis sit ijs vacua. In Cameracensi, S. Vincentius comes Hannoniæ, S. Etto Episcopus, S. Adalgisus, S. Wasnolphus Episcopus, S. Mom-

Molan.
Chron.
Ss. Belg. c.
12.

S. Mombolus Abbas Latiniacensis, S. Abel Archiepiscopus Rhenensis & Abbas Laubiensis.

In dioecesi Mechliniensi S. Rumoldus Episcopus & martyr Hiberniæ regis filius. S. Hymelinus confessor in Fenaco S. Martini.

In Atrebatensi, S. Kilianus Episcopus ex regio sanguine Hiberniæ. S. Vulganius Lensij, & S. Furseus Peronæ, & S. Aubodius seu Obodius in Waucort.

In Leodiensi, S. Mono martyr, S. Foillanus & S. Ultanus, Foffis. Sanctus Bertuinus in Malonia prope Namurcum.

In dioecesi Audomarensi S. Luglius, & S. Luglianus fratres, alter rex, & alter Archiepiscopus in Ecclesia Lierensi collegiata.

In Gandensi, sanctus Liuinus Archiepiscopus & martyr, & S. Columbanus Abbas, in coemeterio Gandensis Coenobij.

In Antuerpiensi, sanctus Fredegandus, de quo nobis jam sermo.

In Namurcensi, Walciodori S. Foranus Archiepiscopus & Abbas, & S. Eloquius Abbas ibidem.

In Ruremondensi, S. Wiro Episcopus, cui Pipinus Pius princeps detractis calceis reuerentiæ causâ, confiteri solebat. Colitur Ruremondæ vt Patronus: Traiectum tamen sibi adscribit præcipuam partem Reliquiarum eius.

In Episcopatu Dauentriensi, S. Plechelmus Episcopus, comes S. Wironis in Oldenseel.

In Siluæducenti, Gelæ in Campaniâ Brabantinâ, Primiceria eius terræ Virgo-martyr S. Digna, in Hiberniâ regis filia, & S. Gerebernus eiusdem virginis confessorius, cuius corpus Sanctenses in Cliuiâ populi, Gelâ

E e olim

olim abstulerunt, ubi per errorem diu pro S. Bernardo cultus fuit; vulgò, *Sint Gebern*, aut *Bern*. S. Oda, Rodæ prope Siluamducis, ex sanguine item regio.

In Brugenfi, in Burgo Ooskerckia, S. Guthagonus confessor, regis Hiberniæ filius.

In Harlemensi, Egmondæ in Hollandia S. Jeron martyr, qui in perditis rebus recuperandis patronus est specialis, de quo est versus:

Rebus in aduersis Jeron sepiſsimè fulget.

Apol. pro
Ioan.
Duns c.8.

Hæc ferè R. P. Hugo Cauellus, & ipse natione Hibernu, professione Minorita, qui ibidem addit: Præuidit Deus qui intelligit cogitationes nostras de longè, & semitam nostram funiculumque inuestigat, Hibernos propter peccata, in eam quam modò patiuntur calamitatem & spiritualem famem, persecutione crudeli omnem animæ cibum auferente, deuenturos, & nisi reliquisset eis semen, quòd tamquam Sodoma similes essent; ideoque pro sua infinita misericordia voluit vt in spiritualibus exteris nationes excolerent, à quibus vicissim in sua fidei fame benignè susciperentur. Gratam se exhibet præ aliis Belgica natio: gentem à qua olim tot fidei sanctos operarios accepit, eiuſdem fidei causâ nunc exultantem, humaniter suscipit & benignè fouet, ac speciali zelo prosequitur eos quos sacris literis quibus vacant, imbutos, in insulam illam, olim sanctam, ad fidem collapsam restaurandam, remeatueros cernunt. Belgium agnoscit Hiberniã, in rebus fidei magnâ ex parte doctricem, eique modò emendicanti, quod olim abundè docuit, manum nõ denegat adiutricem: quo spero, fiet, vt Hibernia Belgium præ alijs omnibus fidei agnoscat restauratricem (excipio regem Catholicum fidei & Ecclesiæ columnam, cuius liberalitati, quâ varia Seminaria Hibernica in

Hispa-

Hispanijs & in Belgio, magno fidei zelo, sustentat, auitæ fidei conseruationem, & restaurationem præcipuam acceptam refert Hibernia) fidei inquam agnoscat restauratricem, & vtrique genti aptissimè conueniat, quod in simili genti Anglorum & Hibernorum olim contigisse ^{Lib. 5. ca. 23. Hist. Ang.} scribit Venerab. Beda quando ad prædicationem & exhortationem S. Egberti de genere Anglorum, sed in Hibernia educati, & totâ penè vitâ conuersati, Monachi Hienfes, qui erant Hiberni, deposuerunt errorem de celebratione Paschatis: *Quod (inquit) mirâ diuinâ cõstat factû dispensatione pietatis, vt quoniã gens illa (Hibernica) que nouerat scientiam diuinæ cognitionis, & libenter ac sine inuidia populo Anglorum communicare curauit, ipsa quoque postmodum per gentem Anglorum in iis que minus habuerat, ad perfectam viuendi normam perueniret.* Ita eadem diuinâ dispensatione factum esse certò mihi persuadeo, vt quoniam Hiberni olim diuinam Euangelij cognitionem Belgis fetuenter communicare curarunt, in præfenti sua calamitate quærentes fidei auitæ panem, & non inuenientes qui ^{Hug. Ca. uel. in vita Ioan. Duns ca.} frangat eis, à Belgis præ alijs, humaniter suscipiantur, benignè foueantur, & in suis necessitatibus piè adiuuentur. Hactenus ad litteram supradictus P. Cauellus; qui rectè probat (& in vita S. Dignæ Hiberni regis filiæ idem ex varijs adnotauit) plurimis sæculis Scotorum nomen solis Hibernis conuenisse, ac per consequens quotquot olim Sancti floruerunt Scoti nominati, non propriè Scotos, sed Hibernos fuisse.